



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

42. De solitudine, seu inquietudine mentis, & quid sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

De solitudine, seu inquietudine mentis,
& quid sit.

CAPVT XLII.

Altera filia Auaritia est sollicitudo seu inquietudo mentis, de qua tractat S. Thom. 2. 2. q. 35. ar. 6 & Anton. 2. peccat. 1. ca. 25. Potest autem sic describi: Est *vehemens applicatio mentis cum timore coniuncta*. In qua descriptione tres sunt partes.

Prima est, *applicatio mentis*. Applicare autem mentem, nihil aliud est, quam per mentem operari, intelligendo, cogitando, volendo: sicut applicare manum ad scribendum, est ipsum scribere.

Secunda pars est, *vehemens*: non enim quaelibet applicatio mentis dicitur sollicitudo, sed quæ est intentia & fortis.

Adhuc hoc non sufficit, nam vehemens applicatio mentis, si aliud non adsit, dicitur studium; sed tertia pars est necessaria, puta, *cum timore coniuncta*. Cum applicamus mentem ad cogitandum, & volendum aliquid, & timemus de consequitione, tunc dicimur sollicitari: vnde, qui applicat mentem ad volendum scribere lectionem, & timeret, quod non poterit assequi, dicitur sollicitus. Ista sollicitudo est causa diligentiae & velocitatis ad operandum: vnde Isidor. hoc vocabulum, *sollicitus*, dicit deriuari à duobus, *solers*, & *citus*, quasi diligenter motus ad operandum. Est etiam ista sollicitudo, causa cuiusdam inquietudinis, & interioris, & exterioris: ob id Caiet. 2. 2. q. 47. art. 9. aliunde trahit vocabuli originem, à *solum*, & *citus*, quasi loco motus; quia, qui est sollicitus, nescit in vno manere loco. Quamuis hæc deriuatio non sit multum exacta, cum illud, in vocabulo *sollicitus*, sit natura longum, in illo vero vocabulo, *solum*, quod significat terram, sit breue. Est etiam causa ista sollicitudo, vt homo intra se sit cogitabundus, nec externa aduertat; ob id forsan deriuatur vocabulum à *solum*, & *citus*, quasi solus, seu solitarius agat intra se. Quicquid sit, habemus, quid sit sollicitudo & effectus ipsius.